

QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 27. Februarij.
M. NICOLAO RAINSSANT,
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Est-ne optima vivendi lex sua unicuique consuetudo?

I.

QUANTI vita ab omnibus æstimatur, tanti sanitas à medico, cui una eademque est optima vivendi, quæ valendi ratio. Altera functionum integritate stat, & sustinetur; altera calidi nativi conservatione viget, & retinetur; utrique pariter prospicit communis quædam rerum nonnaturalium lex, certo quodam earum delectu, & utendi modo, nemini non necessaria, nemini ferè non diversa; utpotè quæ consuetudinis vi sæpiùs ducitur, quàm naturæ instituto. Quid tamen in ore medicorum frequentius versatur naturæ majestate, ne dicam voluntate? Igneus est illi vigor; amat saluberrimo aëris flabello ventilari; cibi potusque pabulo refici suavissimo & facillimo; somni agendique torpore metuit extingui; aut vigiliarum exercitationumque immoderatione dissipari; tot in dies excrementorum veluti cineres fuliginesve cumulantur, quot nec diutiùs retineri cupit, nec uberius excerni. Prętereàque mutuo tum corporis, tum animi motu ad bonum malumve commoveri dicitur ista hominum natura, à singulis nunquam satis dicta, in singulis nunquam satis explorata. Principium est motus & quietis in unoquoque ad munera sibi convenientia exequendum. Verum quis ejus latitudinem & vires aliâ quàm consuetudinis mensurâ assequetur apud populos tàm moribus quàm facie dissimiles, tam vitæ quàm locorum discrimine inter se dis-

junctos? Quibus nemo quantumvis prudentissimus æquissimam aëtis, cibi potusve, vigiliarum & somni, motus & quietis, excreti & retenti, animique pathematum usuram rectè accommodabit, nisi ex genere vitæ diù multùmque recepto; ut indè una consuetudo ad hominum valetudinem plurimùm valeat quasi natura non dicam altera, sed sensim sine sensu harum vel illarum rerum assiduitate alterata.

II.

DUPLEX est homini temperamentum. Aliud proprium, quod singulis partibus ex sanguine materno benè conformatis inest, veluti quædam mixtionis soboles; aliud commune dicitur, quod è corde ad eas omnes, tanquam è sole lux quoquoversùm diffunditur per vitales spirituum radios. Utroque constat natura, seu vis agendi patiendique in quolibet corpore varia, & variis in quolibet homine mutationibus obnoxia, quæ à nascendi principio per alios vitæ & sanitatis gradus subsequuntur. Hinc enim triplex ætatis species sibi invicem succedit, mihique sufficit, quemadmodum & meo & omnium medicorum præceptori, ad omnia vivendi tempora sigillatim certiùsque distinguenda. Hinc etiàm ægrotandi occasio se præbet, violatâ corporis constitutione, aut accensâ febre per calidi nativi, quæ naturæ potior pars est, in peregrinum conversionem. Quid plura? Hinc ipsa oritur moriendi necessitas, cum partes temperamento nimis mutatæ ab injuriis rerum quæ nos afficiunt, ad extinctionem usque pugnant cum calido nativo, quod nec cum humore primigenio, nec secum unquam pugnare potuit. Profectò nonnulla vivendi mediocritas proponitur nascenti, aut primùm concepto homini, incerta quidem, neque ulli unquam satis manifesta reliquo ætatum decursu. Igitur quantùm ab ejus scopo deflectunt aër, alimenta, & quæ utriusque commoda sequuntur sordes, aut functiones corporis: tantùm necesse est partium temperiem utrámque, & dispositionem immutari, & naturam à seipsâ veluti revocari ad eam agendi formam, quam tot rerum familiaritas dederit, finxeritque consuetudo naturæ partìm imitatrix, partìm magistra: cujus subitam mutationem plurima sanitatis injuria consequatur, tantaque sit habenda ratio, ut similium ope nòn minùs conservari debeat, quàm vita.

III.

QUÆDAM affinitatis consensio ac dissensio experientiæ intercedit cum consuetudine, acquisitâ istâ nec incertâ, aut desultoriâ naturæ ad agendum patiendumve facilitate, in quovis hominis instrumento, seu animali facultati serviat, seu naturali, quæ vitalem capit. Consuetudo enim à singularium rerum eâdem frequentique usurpatione, experientia deinde ab earumdem observatione ducitur: hæc illam judicat, non secùs acalimentorum venenorumque vires: atque citissimè decernit ex sanitatis constantiâ, quænam sit unicuique optima vivendi lex. Nimirùm ea quæ ad corporis animique functiones omnem habebit vacuitatem doloris, & facilitatis commoditatem in rerum ad vitam necessariarum usu. Hanc autem aliter atque aliter sustinere discunt & experiuntur corporis partes caloris nativi imperio subditæ, quoties familiari assiduoque spirituum præsidio sæpiùs

muniuntur, & repetito quodam agendi commercio ad suum quæque officium magis inclinantur. Adeò per consuetudinem flexilis est hominis natura in varios animi corporisque modos & motus: ut omnem etiam laborem facilius puer, vel senex, quàm insuetus homo toleret; & quæ diù consueta sunt, etsi deteriora sint insuetis, attamen minùs molestiæ pariant. Quid igitur demiramur aliquem manibus captum, qui pede scribit, fidibus canit, calculos movet & aleam, fuit? qui deinde nec pravis contabescit alimentis, nec interit venenis? qui servato eodem vivendi tenore certam sibi præstitui sentit horam edendi, dormiendi, ventremque exonerandi, & vesicam, ex consuetâ tot rerum agendarum ratione, quæ dum naturæ motum sequitur, hunc deinde magis ac magis perficit? Pusilli autem ac penè ignari hominis est optimam singulorum vitam suo aut populari modo semper describere atque commendare. Quin potiùs medicus, velut totius mundi arbiter, non ejus partem aliquam, sed hunc totum animo complectatur: nec apud eum fide carebit consuetudinis non secùs ac naturæ vis: nec judicabuntur multa fieri non posse ad vivendum, quæ jampridèm facta sunt inter diversos terrarum populos.

IV.

CONDUCTA infantis alieni nutrix idem matris nomen ab ubere habet, quod propria genitrix ab utero: neque aliter consuetudo hominem à parente naturâ genitũ alit educatque, & maternis officiis suum reddit. Nudum quidem excipit, neque deinceps tegit ubique locorum, quasi in aliqua regione plus ei metueret à culice, quàm ab ullâ aëris inclementiâ. Vix natum nunc aquâ calente lavat, aut vino, aut utriusque diluto cum butyri oleive portiunculâ sine sale aut pulveribus: olim istis utebatur, aut frigidissimo amne, ad sanitatis bellicarumque rerum præstantiam: Nec lavabat modò; verùm sævo gelu & undis durabat, non imbelle aut caducum, sed durum plurimæque virtutis ab avitâ stirpe hominum genus. Alij tamen mores & nascenti parcere visi sunt, & ejus aliquandò pudori præparare ab amiculo auxilium. Alij multiplex ei injecerunt ex pluribus pannis involucrum, quod alibi per singulos artus fasciolis strictiùs comprimunt; alibi per crura liberiùs solvunt. In hoc autem tam diverso vitæ jucundæ apparatu, primùm vagitus infantis, ac deindè ploratus consuetudinis acquirendæ difficultatem denotare potest, acquisitæ non potest laudem minuere. Nam lactis à naturâ propositi novitas, nonnè etiàm vomiturienti ventriculo, aut torminosis intestinis diù multùmque molestiæ abstergit; quam unus denique abstergeat lactandi usus, non certâ quâdam horâ repetendus, sed eâ potissimùm quam nutricum vigilantia ploranti optimam fecerit, aut non dormienti. Quasi verò cunarum ardor inter proprium stercus & urinam, sæpiùs infantem non excitaret ad alimenti solatium, quàm naturæ vox, aut inopia. Quamobrem in hâc lactandi frequentiâ eadem esse putem à nutricibus posita, & rudimenta consuetudinis, & incunabula edacitatis, quæ in græcis olim gula fuit, in gallis semper natura.

V.

QUI deinde unam vestis tectique speciem singulis cujusvis ætatis gentibus præscriberet, is non minùs ab omnibus derideretur, quàm qui

unum idemque cibi, potus, exercitationisque genus; nunquàm ruri, semper in urbe. Aut si cuicumque homini sano & bene valenti tam varia esse debet vivendi lex, quidni & variis tot regionum incolis, qui pane radicibus cocto æquè vigent, ac quilibet magnatum suis deliciis? Qui subdio tam in utramque aurem dormiunt, quàm viri principes sub aurato fornice. Qui deindè aut carnibus parùm coctis vescuntur, aut crudis plantarum fructibus, caulibus, foliis, radicibus, nutricibus quidem, communi judicio, & inopis & feræ sortis. Vixerunt tamen sanique vixerunt Cauchorum populi, quibus nec arbores nec pecudes erant; quibus lutum non sole sed ventis; cibi non igne sed terrâ siccabantur. Vixerunt Arimphæi quibus sedes nemora, alimenta baccæ, ritus etiam clementes. Hodieque vivunt tot barbaræ alterius orbis nationes, tantùm à nostra vivendi normâ alienæ, quantùm ad istorum vitam propiùs accesserunt. Verùm ad certam consuetudinis gloriam, vivimus & nos, qui cibi potusque qualitate, præparatione, copiâ, sumendi tempore, ordine, à vicinis gentibus æquè discrepamus, ac exercitationum, animique commotionum, aut aëris varietate. Præterquàm quod à nobismetipsis tantoperè diffidemus, ut in eâdem regione alter pisce, aut legumine; alter carne valeat; alter vino quocumque, alter aquâ; alter pane cibario, alter siligineo. Alius impune cænat etiàm liberaliùs; alius prandio magis delectatur. Hic ad stagna, paludes, fluvios, mare salubriter degit; ille ad montes, sylvas, aut in apertâ camporum planitie. Plurimi diurno labore recreantur; nonnulli nocturno. Est qui concubitum fugit; est qui non pertimescit. Dormiturus quidam plumâ gaudet, quidam paleâ, vel etiam asseribus; milites, pastores, agricolas, operarios, bajulos vel in nuda humo suaviter meridiari, aut etiam pernoctare ipsa sanitas lubenter patitur auditâ consuetudine, quæ qualiscumque fuerit comparata, hominum vitam nec breviorem facit, aut tristiorem: nec animum ad artes ineptiorem, si ulla ei favet præitque institutio.

Est igitur optima vivendi lex sua unicuique consuetudo.

Asserebat Lutetiæ JOSEPHUS THOMASSEAU, Andinus. A. R. S. H. 1676.

PARISIIS,
Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.